

S. Giovanni Batista

SARTI PASCHALIS ALOISII
FERDINANDI
ÆDIS PARÆCIALIS SUBURBANÆ
TIT. S. BARTOLOMÆI AD CINTURIAM
PASTORIS
TRANSMIGRATIONES VARIÆ AB EO
OMNI VERITATE ENARRATÆ
ADMODUM REVERENDO
DOMINO FRANCISCO MAGHERINIO
DOMO MANTIGNANO
EJUSDEM ÆDIS CAPELLANO
ET ADMINISTRO
DICATÆ.

FLORENTIAE
APUD SIMONEM BIRINDELLI
1840.

ADMODUM REVERENDO DOMINO DOMINO

FRANCISCO MAGHERINIO

DOMO MANTIGNANO

AEDIS SUBURBANAE

S. BARTOLOMÆI APOSTOLI

AD CINTURIAM

CAPELLANO

Paschalis Sarti

EJUSDEM AEDIS PRIOR S. P. D.

Jam septem annorum expletus est numerus cum dimidio, ex quo Divina opitulante gratia ad hanc regendam Ecclesiam, pusillumque Gregem fui evectus, et ampla beneficia, quibus me licet immeritum, jam ab initio prosequutus fuisti, fidejussionem coram Capitulo Florentino Patrono subscribendo, ut quamcitius huic Ecclesiae regimini praeficerer, mente mea haerebunt semper immota, et infixa. Utinam intima familiaritate, vitae consuetudine, ac

etiam contubernio, quo usque adhuc usus sum ad vitae meae finem perseverent! Hanc igitur vitae meae expositionem typis editam, Tibi offero, novi expertus Te non dedignatum fuisse a me narrationem aliquantisper audire nostris familiaribus colloquiis. Accipe ergo hoc grati obsequentisque animi mei testimonium, Deoque pro me preces effundas oro atque obtestor. Valetudinem tuam cura diligenter: vale.

Tui admodum Rev. Domine

Datum ex aedibus Paraecialibus die sexta Martii anno Christiano MDCCCXL.

Tui obsequentissimus servus et amicus
PASCHALIS SARTI PRIOR.

IV

PASCHALIS ALOISIUS FERDINANDUS
QUONDAM VINCENTII JO. BAPTISTAE SARTI
ET AGATHAE ANTONII ANDREOZZI
PARENTUM
POPULO S. REMIGII
NATUS FLORENTIAE 18. APRILIS 1778.
SABBATO SANCTO RECURRENTE
HORA SEXTA CUM MIN. QUINQUE ET DECEM
AD SUAVEM CONCENTUM OMNIUM
CAMPANARUM
PRO IMMINENTE PASCHATIS SOLEMNITATE
CONSONARE INCIPIENTIUM
ADMOD. REV. DOMINO JOSEPHO NENCIONIO
BAPTIZARIO
AC BARTHOLOMAEO PASCHALIS TANI
PATRINO
CONFIRMATUS DIE 2. JUNII 1784.
AB ANTONIO MARTINI
IN CLERUM COOPTATUS PER CLERICALEM
TONSURAM ET DUOS PRIMOS MINORES
ORDINES OSTIARIATUM ET LECTORATUM
DIE 9. MARTII 1794.
PER EXORCISTATUM ET ACOLYTHATUM
DIE 5. MARTII 1797.
AD SUBDIACONATUM PROMOTUS
18. MAII 1799.
AD DIACONATUM DIE 20. DECEMB. 1800.
AD PRESBYTERATUM DIE 18. SEPTEMB. 1802.
AB EODEM ANTONIO MARTINIO
EVECTUS.

V

UNIVERSIS

PRAESENTIBUS ET FUTURIS

HANC HISTORIAM LECTURIS

PASCHALIS ALOISIUS SARTI

SACERDOS FLOR.

S. P. D.

Divinam sapientiam ludere in orbe terrarum est veritas ita factis comprobata ut propterea mirum non sit, si Gentes quae Deum non noverunt, et nomen ejus non invocaverunt in tanta humanarum rerum vicissitudine, atque improvisa conversione, divinam quamdam Omnipotentiam cuncta regentem admirantes in hac veritate consenserint. Hujus tam perspicuae veritatis vim si quis alius umquam in se, ego certe in me sum expertus, ut nulla fere vitae meae pars inopinatis casibus, ac repentina rerum novarum commutatione caruerit. Me ergo dicere incipientem, benigno favore quicumque legitis prosequamini.

Ut primum ego Paschalis Sarti ex ephebis excessi, et parentibus orbatus, in scholarum Piarum Florentino Conlegio sub Moecenatum custodia, et intra domesticos parietes degens in Christianae Doctrinae, Latinaeque rudimentis addiscendis incumbo, Deo sic inspirante, Ecclesiasticae vitae tyrocinia amplector quum natus essem undecim annos, ac inter Metropolitanae Florentinae

Clericos Eugenianos nuncupatos per trium et amplius annorum curriculum adnumeratus consisto, deinque a Canonicis Florentinis tutiori portu mihi gratuito in Seminario ad comparanda Sacrarum Doctrinarum adjumenta conlato, quatuor annorum spatio inibi firmiter conquiesco quoadusque tandem Moecenate meo insigni Silvestro Turrio Medicae artis antecessore e vivis erepto a tam durioris vitae ratione prosequenda pertaesus inopinato aufugio, Seminarii vestibus insigniis ante ejusdem portam appensis. Hinc duo Beneficia ad vitae meae sustentationem rite et canonice adsecutus, in Diaconatus ordine constitutus cum adhuc sim, a Clero Metropolitano Sanctae Felicitatis aedem ratione Beneficii adire cogor, cum unus annus ad Presbyteratus Ordinis susceptionem supersit.

Eo tempore Canonici Theologi Josephi Octavii Muzzi antiquae fidei et facilis naturae hominis, morum candore, et integritate suavissimi (cujus exuviae hac in aede S. Bartolomaei ad Cinturiam adservantur resurrectionem ultimam expectaturae) sum Clericus suo adlectus famulatu, et quum Ejus uterer familiaritate et adloquio amorem Pisas invisendi excitavit, adiectis quibusdam ut ita dicam igniculis laudibus usque ad sydera extollendo Sacram Turrim celebrem aedis Principis Primatialis mirifice pendentem, suavem musicumque illarum campanarum concentum, paucisque diebus elapsis huic flagrantissimo injecto desiderio obsequendo, nulla interposita mora, inardesco, iterque pedibus arripio, omnibus insalutatis, consilio praecipiti, juvenilibus effervescentibus annis, sine sacculo, sine pera, veste obsoleta detritisque calceamentis, sine pecunia anno MDCCXCVIII. adsumpto itineris Socio Aloisio Carrìa clerico sodali. Cum Pisas pervenissemus curae nobis fuit invisere, et contemplari Civitatem tam pulcherrimam aedes Deo Sacras, percelebresque Academias, Templum princeps insigne ac magnificum

Primatiale, Baptisterium ad S. Joannis Baptistae, publicum caemeterium, celebremque illam Sacram Turrim mirifice pendentem, variis columnarum ordinibus apte dispositam, et affabre extructam et elaboratam. Quoties memini nunc opportune, immote pedibus stans per plures horas hiulce interdiu noctuque ut tam Magnifici Templi Campanarum suavem musicumque concentum exaudirem, quoties saepe obtigit unica die ut spissae lacrymae ex oculis meis erumpentes guttatim praegaudii iucunditate, ac spiritus exultatione effluxerint uberrimae! Verus est sermo, verus est sermo, quem dixit Canonicus Muzzius, animo revolvebam, et vidi oculis meis, auribusque probavi, quod ne pars quidem media mihi ab eo fuerit enarrata, maior est experientia quam quaecumque eloquens enarratio. Testis testis sit Aloisius Mungai Ecclesiae Principis Vicarius inamovibilis ac Baptizarius adhuc vivens; ipse ipse potest de me testimonium perhibere, quia veritatem dico et non mentior; ille Aloisius Mungai, qui hac prima vice Pisarum Civitatem invisendam petii, et secum adloquendi copiam dedit, ita boni animi sui testimonia et amicitiae dedit significationes et arrhas, quam quod maxime; tectum victum stipem mihi pauperi ac misero, non modo per se elargitus est, (cum Florentia dicessuri ne quid nobiscum attulerimus ne illud quidem quo nares emungi, iratumque ventrem placare possemus) non modo per se, inquam, elargitus est, cum esset sub actoribus et tutoribus, sed insuper omnem curam diligentiamque impendit, ut alii quoque, quos inter Michael Bellincionius Ecclesiae Primatialis Curio vigilantissimus et Canonicus emeritus, cujus memoria in benedictione est, et Michael Luciani misericordiae haud indubia signa exhiberent, quae amicitiae testimonia non solum prima vice, sed aliis quoque occasionibus in qui-

bus per decem alias vices Pisas repetii majori fortassis benignitate et largitate, quae omnia beneficia, vita comite, grati animi ergo mente mea haeserunt, haerent, haerebuntque imposterum infixa et immota. E Pisarum Civitate Florentiam repetentibus, ad caeteras aerumnas a Clero Metropolitano fuimus dimissi eo quia sine ulla venia discesseramus, sed post aliquod temporis fuimus in pristinum locum restituti. Ad sacrum vero postmodum Presbyteratus ordinem aegre licet et difficulter ab Antonio Martinio Archiepiscopo adsumptus aetate Canonica, interstitiisque integre servatis, Presbyter adsistens duorum mensium spatio in novis Missis celebrandis adsignatur, quam spartam suscepit patienter Petrus Pesciolius Seminarii Praefectus mihi amicitiae foedere familiaritateque devinctus. Dein in ipsa sanctae Felicitatis aede ad munia Sacerdotalia obeunda commorari a Superioribus adactus, duobus annis ferme elapsis, homo adolescens factus de fluxa rerum humanarum conditione, deque periculis eorum, qui inter saeculi illecebras versantur, adprime convictus, de Religiosae vitae capessendo statu de libero, illudque prae caeteris Institutum deligo, quod unicuique non solum suam, sed Proximorum quoque salutem procurandi in Juventute spiritu pietatis et intelligentiae erudienda onus injungit. Hunc vitae statum ingredior in pervigilio Epiphaniae anno MDCCCIV, et in Tyrocinio exceptus sacras vestes induere mihi est datum, sed post duos vix elapsos menses, Deo sic disponente, eas deponere cogor, et ad saecularia vota remeare. Duobus vero annis in aede sanctae Felicitatis in muniis Sacerdotalibus exercendis absumptis, excepta Poenitentiae Sacramenti administratione, ad quam dudum me senseram vehementer incensum, quumque me examini subjicendo Averardus Corboli Vicarius Generalis

obstitisset, hujus rei pertaesus, Romam pedibus peragrare sine sacculo, sine pera, sine sufficienti stipe ad Apostolorum sacra limina invisenda, utque Antonium Mariam Latinium Minorem Conventualem Concionatorem celeberrimum jam eodem anno in Templo Sanctae Crucis inviserem, desiderio inardesco, et kalendis Junii MDCCCV. obsequi huic pio desiderio, incalesco, omnibusque insalutatis, iter pedibus adgredior. Sed a Deo, qui abundantia pietatis suae et merita supplicum excedit et vota, in Senensi Dioecesi alter portus mihi aperitur ac panditur, ac vagus et profugus, minimeque cognitus in ea Civitate mihi prorsus aliena humanissime excipior a Cardinali Archipraesule Antonio Felice Zondadario Antistite, ac Patrono Equite Fratre Carolo de Mariscottis aedis Principis Senensis Archidiacono praeter meam omniumque tunc temporis Florentiae commorantium opinionem et expectationem, ac inter illius Dioecesis Parochos in Plebana aede sacra Titulo Sancti Joannis Baptistae ad Lucinianum Vallis Arbiae primum mox Oeconomus spiritualis, dein Curio minimus omnium adnumeror, cui aedi onus septingentis animabus invigilandis adjunctum est, et veritatem experior adamussim in me impletam illius majusculis litteris supra portam principem Camolliam inscripti epiphonematis COR MAGIS TIBI SENA PANDIT. Heic dum Paroecialibus muniis obeundis totus incumbo, gravissima post hominum memoriam procella exoritur, et octo annorum curriculo jam elapso, dum ingruente tempestate miscent se maria, nigraeque arenae attolluntur ob Neapoleonis Magni Francorum Imperatoris, Regisque Italiae, ac silere videtur in conspectu ejus omnis terra, vitae amittendae itentidem expositus periculo patriam remeare tandem delibero, post voluntariam spontaneamque illius

Plebaniae aedis resignationem, sed Capellani munere illius aedis antea per sex menses solidos emenso : Et ad finem cujuscumque hebdomadae pedibus iter adgredior ad illam Plebaniam Lucinianam aedem, ut diebus Dominicis et festis illi populo inserviam in confessionum auditione, sacrificii Missae celebratione, et Dei verbi gratuita praedicatione, sicut spoponderam, per totam Quadragesimam MDCCCXIV. Exinde desiderio incalesco exercendi ordinem Leviticum ad aram principem privilegiatam illius aedis, et Cardinalis Antistes mihi indulgentissime morem gerit subscribendo supplicem libellum, sed praeter meam omniumque qui aderant exspectationem vix jam Leviticum officium obiturus, sum deturbatus ad munus hoc exercendum, et de sacrario vestibus Leviticis vi exutus tamquam fur et latro sum inurbane projectus, cuius rei moerentissimus e Senarum civitate fugam Florentiam versus extemplo arripio, Senis in aeternum vale dicturus et semper. Patriae demum Diocesique Florentinae restitutus, rebusque compositis, et inter secundi Ordinis primum honorarios, dein mansionarios Metropolitanae Ecclesiae Sacerdotes a Vicario Apostolico Capitulari Cajetano Niccolinio vice sacra adlectus, adventu Antistitis Petri Francisci Morali, cujus Episcopali inaugurationi Senis in aede Principe tertio nonas Aprilis MDCCCXV. magno populi adcursu confertissimo habitae adfui praesens et stupens, qui paulo ante fueram protestatus Senas numquam invisuras, adventu, inquam, tam Cari Capitis Petri Francisci Morali Archipraesulis novis difficultatibus, periculisque objector. Nam dum solis Canticis spiritualibus studeo, et in Ordine Diaconatus obeundo, in canenda Dominica Passione, et quotannis Paschali Praeconio in Sabbato Sancto, quotidie libentissime operam impendo, animarum Curam in ipsa Principe

aede sub Cajetano Niccolinio, et Angelo Gilardonio Archipresbyteris eximiis suscipere mihi est demandatum, dumque hoc munus Paroeciale diu noctuque fere solus onera portando perdiligenter obire satago, ut clitellarius, a Canonicorum Capitulo sum omnino rejectus ab adeptione Beneficii Choralis mihi ex justitia debiti, veluti agmine facto; hacque de causa, et cum e fenestra conspicarer saepe in adjacente platea, currus in quibus pueri cum obstetricidus compte indutis ad baptisma suscipiendum deferebantur, nequibam jamdiu sustinere tam poenosum martyrium, quod me excruciabat quammaxime, moerens et dolens e Metropolitana aede iterum iterumque inopinato aufugio post sex solidos menses, et officio Paraeciali penitus dimisso, in oppidulum Camporum sexto ab urbe milliario protinus distantem me recipio, invitatu Francisci Arrighetti contribulis Eugeniani Clerici, ut Sacramenti Baptismatis ministrandi, ad quod ministrandum jamdiu me senseram vehementissime inflammatum, praeter alia sacra munia, facultas et copia mihi detur. Post vero sex menses, variaque in unam et alteram Civitatem, praesertim Pisas per undecim vices itinera, ut vitae sustentationi consulam in aliquo licet humili demissoque munere, tandem aliquando etiam inibi curam animarum adsumere cogor precibus validis iterato interpositis Casimiri Stoppioni Plebani apud Archipraesulem interiectis, sed multas exinde calamitates, inimicitias, aerumnasque, factus omnium peripsema dicentes se numquam suaderi posse quod qui sal aliis tribuebat, ipse insipidus esset, titulo inconstantiae, capitisque volubilitatis ad nauseam, usque repetitas, ita subire cogor, ut neque ad Concursus pro Ecclesiis Paroecialibus admitti queam, neque aliud simplex Beneficium possim obtinere, omnesque insuper viae praecludantur, ut in exteras saltem Dioeceses ad id mu-

2

neris excipiar, signum in omnibus contraditionis semper effectus. Ut vero ab hujusmodi molestiis, aerumnisque tandem aliquando explicem, quatuor fere annis in Campensi ministerio absumptis, moecenatibusque omnibus, Sorore, e vivis ereptis, et quod rei caput est lectissima bibliotheca undique plurium annorum intervallo grandi aere comparata, quam in deliciis habebam, orbatus, imultoque aere gravatus, et ad summam redactus egestatem,in alteram civitatem Dioecesimque longinquam, invitatu cujusdam mihi amicitiae foedere devincti, qui ab epistolis erat Josephi Pannilini Praesulis Clusini ac Pientini, peragrare contendo, insalutatis omnibus, et brevi duorum mensium nondum expleto curriculo humanissime excipior a Praesule, a Capitulo, a reliquo Clero, a contribulibus, et inter Canonicos illius pervetustissimae Cathedralis Clusinae Apostolorum aevo conditae adnumeror praeter meam, omniunque, qui me noverunt expectationem, et opinionem, et octava ascensionis Dominicæ die vigesima tertia Maii MDCCCXXII. in corporalem, realemque possessionem hujusce Canonicatus adnumeror, solemni sacrarum caeremoniarum adparatu, quinquaginta post dies mei in illam Civitatem Clusinam adventus. Exinde ab eodem Antistite, qui me immeritissimum benevolentia prosequebatur, honorarium suum secretarium destinavit, exinde Prosynodalem Examinatorem, exinde bis Confessarium extraordinarium Monialium Clusinarum, ac Sarteanarum adlexit, quae sacra munia utpote nova non possum satis effari quanta animi jucunditate obierim. Sic sexdecim mensibus in Canonicatu] Clusino [absumptis, ac Josepho Pannilinio Antistite e vivis erepto, (o cogitationes hominum timidae, et incertae omnes providentiae nostræ !) iterum, iterumque Florentiam me recipio, et in Campensi oppidulo per sex solidos menses in sa-

cerdotalibus muniis, ac Baptismatis Sacramento ministrando firmiter conquiesco, quoadusque ab Archiepiscopo Petro Francisco Moralio titulo commiserationis, ut aere alieno gravatum aliquantisper relevaret, Canonicatu Clusino Florentiae resignato, die sancto Hieronimo sacra, ex quo die deinceps Cognomen Mathaei Girolami mihi immutare complacuit; in aede Sancti Alexandri de Jugulo prope Florentiam animarum Cura mihi fuit demandata sub optimo illo sene annoso ac festivissimo Aloisio Borghigianio, qui omni bono officio me immeritum prosequutus est. Post vero quatuor supra decem menses in eo munere Jugulensi quis nam credidisset? absumptis, portus mihi denuo aperitur ac panditur, mea sententia securissimus, ut iterum in Senarum Dioecesi sub optimo Antistite Josepho Mancinio domicilium constituam, et praesertim quod est mirandum, in ipsa aede Plebania S. Joannis Baptistae ad Lucinianum Vallis Arbiae, ad quam jam a viginti retro annis fueram prima vice constitutus, etiam tunc temporis sum iterato Curio renuntiatus ab Equite Commendatario Fratre Carolo Mariscotti Aedis principis Archi-Diacono, ac Vicario Generali Patrono secunda vice nominatus sum, et Curio denuo renuntiatus. Sed difficultates novae exequendi inibi munera Paroecialia, in iis quae spectant praesertim Infirmorum visitationes, aetate jam ad senium vergenti, in illa Lucinianensi aede Plebania admodum populosa, illam denuo resignare post sexdecim menses fui ex conscientia coactus, et in altera mox Plebania aede Titulo sancti Michaelis Arcangeli ad nemora prope Ilcinensem Montem primum Vicarius, deinde Pastor ab eodem Josepho Mancinio Antitiste fui adlectus. Vigintitribus mensibus in eo munere expletis Canonicam abdicationem pluries petitam illius aedis tandem aliquando obtinui, paucisque

diebus interiectis Capellani munus exercere mihi fuit concessum in aede Plebana Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli de Bono Conventu nuncupata sub dulcissimo Plebano Josepho Focaccio annis juveni, sed mente sene, nunc aedis Principis Canonico dignissimo Poenitentiario, adnexo onere pueros in legendi, scribendique, ac supputandi institutione. Mensibus septem nondum expletis ab Episcopo Ilcinensi Joanne Bindi Sergardi Patrono fui nominatus et adlectus ad Parolecialem aedem regendam Tit. S. Andreae Apostoli Abbatiae abbatiae ardengae, quam Ecclesiam, ob reddituum tenuitatem, ob vias difficiles, ob fastidiosum cicadarum, ac noctuarum cantum, organi campanarumque deficientiam, unam campanulam habentem cum patienter paulisper retinuissem, Patriae restitutus, illam etiam resignare totus incubui, et moxadCapellani munus obeundum ab Archiep. FERDINANDO MINUCCI optimo indulgentissimo validis precibus interiectis Josephi Beni fui destinatus in aede S. Martini de Broctio, quod munus post unius vix anni intervallum, eodem Josepho Benio Plebano e vivis erepto fuit commutatum in Ecclesia regenda Tit. S. Bartolommaei Apostoli suburbana ad Cinturiam, ad quam praevio concursu fui licet aegre et difficulter a Canonicis Florentinis Patronis adlectus anno MDCCCXXXII quam Ecclesiam utinam ad vitae finem retineam, alias mihi eveniret quod scarabaeis evenire solet, qui per hortos et amoena volitantes turpiter tandem aliquando conquiescunt, et ne impleatur; et erit novissimus error pejor priore.

Quae quum ita sint, non possum quin exclamem cum D. Augustini verbis Libro tertio Confessionum capite undecimo excerptis gaudio laetitiaque inenarrabili abreptus: « *O tu bone Omnipotens, qui sic* « *curas unamquemque nostrum tamquam singu-*

« *los et sic omnes tamquam singulos,* » O tu bone Omnipotens rectum mihi consilium elargire; ut vitae meae commutatio, quam varie Romanensium more hinc mihi agere institui, ad ea tandem appetenda perducat, quae ab omnibus amanda, et colenda esse videntur.

Paschalis Aloisius Ferdinandus Sarti,
scribebat, enarrabat.

TEMPORA LABUNTUR, TACITISQUE SENESCIMUS ANNIS
ET FUGIUNT FRAENO, NON REMORANTE DIE.
OVIDIUS

Tempore Paschali Alleluja Alleluja
Toto cordis ac mentis affectu
Personemus vocis ministerio
Alleluja Alleluja Alleluja Alleluja.